


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum die Martis vigesimâ-octavâ Martii M. DCC. XLI.

M. PETRO-JOANNE BURETTE, Regis Consiliario, Medico & Sub-Bibliothecario, in Regio Franciæ Collegio Lectore & Professore, è Regiâ Inscriptionum & humaniorum litterarum Academiâ, Regio librorum Censore, Doctore Medico, Præside.

An siccus Aër humido salubrior?

I.



AER, ut vitæ, sic & sanitatis morborumque præcipuus auctor, Corpus est fluidum, pellucidum, grave, densari & resilire aptum, nulli sensuum, præterquàm auditui tactuique, obvium. Ex duplici partium genere potissimùm coalescere videtur: aliis crassioribus, tenuioribus aliis. Crassiores, non modò effluviorum ab omnigenis ferè corporibus jugiter dimanantium proventus; sed corpusculorum præsertim peculiari textu & figurâ primo rerum ortu conditorum σύςασις. Tenuiores motu velocissimo raptæ, crassioribus vim diffluendi lumenque transmittendi impertiuntur. Extrusâ illâ tenuiori substantiâ è crassioris meatibus, Aër cogitur in angustum. Quantùm autem hîc possit comprimi,

eo diſcitur, quód novæ catapultæ πνευματικῆς artificio, ad viceſimam ſui ſpatii partem adigatur. Ab inteſtinâ ſubtilioris partis agitatione, nec-non aptâ craſſioris figuratione, in Aëre vis reſiliendi; quæ non, ut in cæteris ἐλατῆρσι, deteritur; cujuſque immenſa prope efficacitas mirum in modum eluceſcit veſicâ ferè inani, vacuo *Boyliano* impoſitâ, quæ Aëris intùs coërciti rarefactique niſu, vel pondo quinquaginta & ampliùs attollit. Ab Aëris ἀναπηδήσει, & materiæ cujuſdam ſubtiliſſimæ à centro recedere conantis motu, Aëris gravitas vulgò dicta. Ab Aëris gravitate, effectus omnes perperàm vacui fugæ adſcribi ſoliti. Aër non unius facultatis. Diverſa illius indoles à vario ejuſdem motu, & aſcititiis à terraqueo globo expirationibus. Hinc modò gravior eſt, modò levior: hîc ſubtilis, illîc denſus & concretus: aliàs calidus, frigidus aliàs: nunc ſiccandi, nunc madefaciendi poteſtate prædirus. Ingenio proclivior ad ſiccandum, quatenùs partium figurâ & concitatione, corporum, quæ præterlabitur, humorem abſtergere idoneus; nimio guttularum aquearum alteriúſve naturæ interjectu, humidus evadit. Nec ejuſdem pondus ex halituum confertorum copiâ dimetiri par eſt: hoc enim, flante Boreâ, majus; Auſtro ſpirante, minuitur, βαρομέτρῳ teſte. Unde colligere eſt, in Aëre vim reſiliendi ſudâ ſiccâque tempeſtate roborari, humidâ & nebuloſâ reſolvi.

II.

QUANTÆ ſit ad viam neceſſitatis Aër, vel qui ſpirare ſemel incœpit novit. Illius uſurâ impunè carere nequeunt, quæcumque vitæ munere fruuntur. Eum, non modò perfectiſſima quæque Animalium ducunt; ſed & ea, quæ duntaxat inchoata videantur, Inſecta, Conchylia, Fœtus utero vel ovo concluſi. Quidni & Plantæ? Natura ſiquidem propria ſingulis fabricavit organa, quibus illum intra ſe excipiant. Plantis & inſectis tubulos Τραχειῶν cognomine inſignitos, Piſcibus Branchias, reliquis Animantibus Pulmones in eum uſum conceſſit. Reſpirationis modus ubique mirabilis, in Homine, ut in Brutorum pleriſque, reciprocatione quadam continetur; foris intrò, intùs foràs. Admittitur Aër, pectore dilatato. Dilatatur pectus coſtarum utriuſque & ordinis & lateris aſcenſu, ſepti-tranſverſi deſcenſu. Attolluntur coſtæ muſculorum μεσοπλευρίων externorum internorumque obliquâ contractione, ob decuſſatas illorum fibras idem præſtante, quod muſculi directò trahentis actio. Deprimitur ſeptum-tranſverſum, fibris gemini, ex quo compactum eſt, muſculi à centro nervoſo ad ambitum retractis. Ampliatâ pectoris capacitate, Aër vi ſuâ reſiliendi compulſus, non attractus, per guttur in pulmones irrumpit, quos mille canalibus & veſiculis excavatos diſtendit inflatque. Expellitur idem, pectore arctato. Arctatur pectus coſtarum deſcenſu, ſepti-tranſverſi aſcenſu. Coſtæ concidunt ingenito ſuarum partium renixu, quo, ceſſantibus muſculis, à quibus per vim fuerant ſublatæ, priſtinum ſtatum redipiſcuntur. Surſùm redit ſeptum-tranſverſum, remiſſo ipſius niſu, partìm à diſſepimento, cui firmiter adhæreſcit, reſilienti revocatum, partìm ab infimis viſceribus ſeſe explicantibus repulſum. Eorum omnium rationem adjuvat abdominis muſculorum & pulmonis fibrarum contractio, ſicubi Animal vehementiori indigeat expiratione. Sic anguſtato pectore, Aëris portio è pulmonum veſiculis in βρόγχια, ex his in aſperam arteriam, ex aſperâ arteriâ foràs eliditur.

III.

TAM ſtupendo inſtrumentorum apparatu Aër non ad temperandum cordis æſtum, aut ventilandam flammam vitalem, in pulmones derivatur. Non, ad ſanguinis fuligines excutiendas. Non, ad refrigerandum conſpiſſandumve ſanguinem, cordis igne priùs rarefactum; quò faciliùs in altero ejuſdem viſ-

ceris foco iterùm ebulliat. Quis igitur tantus hausti Aëris ad vitam usus? Sanguinis circuitum, à quo vita, promovet; quatenùs eum liquorem attenuat, propellit ac fervefacit. Pulmonum enim folliculos distendens, purpureum laticem à corde submissum, & in impeditis arteriæ venæque πνευμονικῶν ambagibus moras nectentem, atterit, dissolvit, ejusque reditum ad cor accelerat. Sed & eidem resilientes eas largitur particulas, quibus ipse fœtus est, quibusque orbatus, Animalium vitæ sustinendæ par esse nequit. Harum tremulâ & reciprocâ motione, inæquali corpornm incumbentium pondere usquè productâ, sanguis incitatus, effervescit; blandum illum concipit calorem, cujus extinctio, mors; cunctisque vitæ muniis ritè obeundis aptissimus evadit. Dùm autem superficies, motus & coaptio partium ejus hoc novo commeatu immutantur, coccineum induit colorem, quo perfusus conspicitur, ut ad sinistrum cordis sinum refluit. Ex prædictis, explanari potest, Cur in Aëre sæpiùs expirato, vel rariori, quàm par est, spiritus gravis & angor: Cur ab eodem nimiùm condensato, vel diutiùs intra pulmones coërcito, suffocationis periculum: Cur in loborioso concitatove musculorum conatu, spiritus ad tempus cohibeatur, deinceps cum anhelitu ducendus. Nec solâ respiratione Animantium corpus Aër afficit; verùm & suo ad reliquas illius partes, cùm externas, tùm internas, appulsu. Alimentis permistus deglutitur, ad χυλώσεως negotium non futurus inutilis. Corporis ambitum æquabiliter ab omni parte comprimendo, per eam regionem cruoris periodum provehit. Quin & sensuum nonnullis famulatur. Secum enim odores ad narium lamellas defert. Auris prætereà labyrinthum intimè pervadens, tympani extrinsecùs variè verberati modulationes excipit, quas diligenter principi auditûs organo repræsentet.

IV.

CUM ea sit Aërem inter & solidas fluidasque Animantium partes necessitudo; non mirum, si pro variis, quibus instruitur ille, virtutibus, functiones & spiritales & corporeæ, quæ ferè omnes à solidorum fluidorumque texturâ & motu pendent, tot & tantas subeant mutationes. Hinc diversitas in temperamentis, studiis & moribus Gentium, non modò quæ à sese invicem longissimo terrarum tractu sejunguntur, sed & quæ degunt vicinæ, maximè repetenda. Hinc aliæ ingenii acumine, aliæ tarditate insignes audiunt. Hinc sæpissimè idem homo in eâdem regione modò tristis & severus, modò hilaris: nunc prosperâ, nunc adversâ valetudine utitur. Porrò illam fovet Aëris constitutio sicca: hanc humida arcessit. Siccus Aër, utpotè vegetior ad resiliendum, corporis totius fibras obfirmat, meatus aperit, humorem superfluum exhaurit; indeque fermenta exacuuntur, dejecta suscitatur appetentia, cibi optimè conficiuntur & distribuuntur. Eâdem de causâ celeriter nulloque negotio in pulmones devolutus, implicitos eorum anfractus penetrat & recludit: sanguinem potenter urget, illincque extricat; & eam illi partium ἐνορμώντων vim sufficit, quæ debito calori luculenter intra eundem accendendo sit satis. Hinc spiritus lucidiores à cerebro in universum ipsius regimen irradiant. Ab his animus ad sua munera promtior & alacrior. Ab his, ut à servato fibrarum tono, expeditior movendi, exquisitior sentiendi facultas. Uno verbo, benè temperatam cœli siccitatem cunctarum vitæ actionum integritas comitatur.

V.

HUMIDUS Aër è contrario, quàm sit valetudini noxius, facilè quivis, perspectâ illius naturâ, intelligat. Corpori gravitatem inducit: hoc enim eò gravius quò ille levior. In pulmones ægrè delabitur. Ibi stagnans, cunctantem sanguinem segniter ad absolvendam circuitionem stimulat: Unde laborio-

ſa reſpiratio; & anhelantium, humido cœlo, anguſtiæ. In pulmone ſanguini admiſtus, ejuſdem ζύμωσιν vix ac ne vix quidem ciet, cùm ob aquearum copiam, tùm ob reſilentium partium inopiam. A ſanguine malè fermentato, ſpiritus effœti. Hinc, ut à corruptâ humidi Aëris allapſu fibrarum nativâ tenſione, ſenſuum oritur imbecillitas & inertia. Oculorum acies hebetatur. Auditus ingraveſcit, non minùs Aëris torpentis & ad argutum ſonum inepti, quàm ipſiuſmet organi vitio. Perit naris emunctæ ſagacitas. Univerſi corporis vires enervatæ fatiſcunt. Animus quoque unà prægravatus, in triſtitiam fit propenſior. Quin & obthuratis ab humidâ colluvie cutis ſpiraculis, inſenſibilis tranſpiratio non leviter præpeditur. Obtunditur intereà latentium intùs fermentorum vigor. Hinc manca & imperfecta ciborum diſſolutio ſanguini jam languido tenue ſubſidium parat. Sic debilitatâ ſenſim liquorum agitatione, & laxato fibrarum contextu, multi, iique utplurimùm contumaces ingruant morbi, neceſſe eſt: Catàrrhi, Gravedines, Raucitates, Febres diuturnæ, Alvi-fluxus, Putredines, Apoplexiæ, Comitiales affectus, Anginæ, & ſimiles, quibus humidâ plerumquè tempeſtate corpus jactatur. Quicumque igitur aliquam ſuæ ſanitatis rationem duxerit, is utiquè ſiccum & ſincerum Aërem, in locis mediocriter & editis & inſolatis, aurâ ſuavi perflatis, ſectetur: Humidum verò, qualem efficere ſolent Auſtrina conſtitutio, maris fluminumve majorum vicinia, ſolùm ſtagnis paludibuſque ſcatens, humile, collibus undique obſeptum, minuſque à Sole colluſtratum, omni ope & induſtriâ declinet. Eo pacto immunem à morbis quamplurimis ætatem peragens, egregias ſicci Aëris dotes ſecum reputabit, lubenſque cum Divino Sene colliget,

Ergò ſiccus Aër humido ſalubrior.

Proponebat Pariſiis NATALIS-MARIA DE GEVIGLAND, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.